

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Joachimus von Krakevitz, S. S.
Theol. Doct. Ejusdemque Prof. Prim. Facult. suæ Senior ac Decanus, Consistorii
Ducal. Consil. & Distr. Meckl. Superint. Ad Exeqvias Qvas Viro Qvondam Præ-
Nobilissimo, Consultissimo, ... Dn. Matthiæ Steinio, Juris utrisqve Doctori
Celeberrimo ac Codicis Professori Publico & Ordinario Meritissimo, Collegii
Professorum Senat. & Facultatis suæ Seniori Gravissimo, Nunc eheu!
Desideratissimo, Vidua maximo in luctu Constituta Die 20. Sept. Anno
MDCCXVIII. parat, Proceres ac Cives Academicos humanissime ac sedulo invitat**

Rostochii: Wepplingius, 1718

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774620935>

Druck Freier Zugang



v. Krakevitz, A. J.,

in

M. S t e i n .

Rostock, 1718. /a

41.





RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

**ALBERTUS JOACHI-
MUS von Kraleviß/**

S. S. Theol. Doct. Ejusdemque Prof. Prim. Facult. suæ Senior ac De-
canus, Consistorii Ducal. Consil. & Distr. Meckl.

Superint.

AD EXEQVIAS

Qvæs

*Viro Qvondam Præ-Nobilissimo, Consultissimo,
Amplissimo atqve Excellentissimo,*

**DN. MATTHIAE
STEINIO,**

Juris utriusqve Doctori Celeberrimo ac
Codicis Professori Publico & Ordinario Meritissimo, Collegii Pro-
fessorum Senat. & Facultatis suæ Seniori Gravissimo,

Nunc oben! Desideratissimo,

Vidua maximo in luctu Constituta

Die 20. Sept Anno MDCCXVIII.

parat,
**Proceres ac Cives Academicos humanissime
ac sedulo invitat.**

Rostochii, Typis Ioh. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



malum infaustum ,
triste ac acerbum , quod nostræ
Universitati mihiq[ue] ejus hodiè
Rectori contigit funestum ac do-
lorosum! Sceptra Academica, ma-
nibus meis concredita , erecta ac
firma haec tenus tenuit Tua, MAT-
THIAS STEIN / Collega

Coniunctissime , nunc eheu ! Desideratissime , rerum a-
gendarum peritiâ , Tua in afferendis consiliis prom-
ptitudo & dexteritas , Tuus in Academiam & jura ejus
conservanda Amor , Fides Tua Tuaque Integritas !
Tu quippe , Consiliariorum Academicorum omnium
Con - Senior , Collegii Senatorii Tuæque Faculta-
tis non ætate tantum sed autoritate quoque Senior
Gravissimus , in gubernanda re nostra Academica u-
nanimi Patrum Conscriptorum suffragio , datus mihi
eras in Promotorem & Consiliarium regiminis nostri
perpetuum , primum , certissimum atque maxime fi-
delem . Tu vero Promotoris in Academia & Facul-
tate Tua deponis officium , dum Te Promotore pro-
moveri cupiunt Lectissimi J. U. Candidati WOLF-
FIUS & EHRENTINIUS ; Et qui ipsemet haec tenus
ut cœli Candidatus quotidie ad electorum & beatorum
adspirasti honores , promoveris quidem ad supremum
omnis desiderii Tui fastigium , ast eo ipso Promoto-
riales nobis denegas , nostræque Universitatis salutem
promovere amplius , recusas ! O durum omnique lu-
etu dignissimum Academiæ fatum ! Habet quidem
Alma nostra Viros , suis in eandem meritis non minus
quam reliquorum officiorum suorum dignitatibus Per-
Illustres

Illustres SCHOEPFERUM innuo SCHAPERUMq;,
in quorum pectoribus residet omnis iurum nostrorum
ac privilegiorum, morum ac consuetudinum, statuto-
rum ac quicquid hactenus sacræ fuit observantiae, noti-
tia exactissima: Ast bone Deus! quæ non incumbit
humeris Virorum omni elogio meo majorum immensa
negotiorum moles, dum quotidianis iisdemque secre-
tioribus aliisque innumeris Serenissimi ac Potentissimi
Ducis ac Domini nostri curis ac consiliis inter esse
tenantur, adeoq; vix suis, multo minus Academiæ no-
stræ admodum laborantis, necessitatibus præesse ho-
die possunt. Tu vero MATTHIAS STEIN/ totus
totus commodis ac utilitatibus Academiæ nostræ à Deo
destinatus, natus, datus ac consecratus eras. Omnes
horas, in commodum, salutem, florem ac emolumen-
tum Universitatis nostræ ac studioræ juventutis, con-
vertere poteras actaque convertebas; siqvidem nullæ
aliæ Te avocabant curæ, nulla alia animum Tuum
distrahebant negotia, nisi forte exteri aut qui in ipsa
hac degunt urbe vel provincia Tuam efflagitarent in-
ferendis consiliis aut dirimendis controversiis ac litigiis
opem ac industriam: Quo ipso tamen splendorem ac
famam Academiæ nostræ nulla ex parte imminuisti sed
auctiorem indies reddidisti ac celebriorem. Hinc
maxima nostra in Te deposita erat Spes. Tu commu-
ne nostrum fuisti Refugium. Tu Universitatis nostræ
Oraculum. Ast Oraculum nostrum obmutuit! Refu-
gium nostrum aufugit! Spes nostra decollata est! O ca-
sum luctuosum vereq; lamentabilem, qui in funere
Steiniano Academiam, inque illa Conselium Concilia-
rem præcipue & Facultatem perculit juridicam! Ca-
sum hunc universa pro meritis deflet Civitas, luget eun-

dēm uterqve hujus Urbis Senatus, conqueritur.
Studiosorum Corona, dolet qui STEINI virtutes asti-
mare ac in pretio habere se obstrictum sensit. Ade-
oqve & ego hodie Academiæ Rector doleo, qvod Ami-
cum Certissimum, Collegam Conjunctissimum, & in
negotiis ad regimen Universitatis spectantibus Promot-
orem nemini secundum amiserim. Digna omnino est
amplissima Viri hujus Amplissimi memoria, ut ad po-
steros qvoqve, si qvi futuri sunt, transmittatur, & post
fata laude omnium gloria nomen ipsius celebretur;
qvapropter, cum meam erga pie Defunetum vix recti-
us testari nunc qveam affectum, qvam ut vitæ Ipsius
historiam hic ingenue recensem, me ad illam expo-
nendam accingo qvidem, non autem stylo admorsos
sapiente ungues, sed vulgari ac simplici, dicendiq; ge-
genero extemporaneo, qvo gaudere solent ii, qvi ma-
jori spatio aut dolore nimis præsente ad cogitandum
exclusi sunt, qvale qvid mihi jam accidit. Quiqvid ta-
men decedet industriæ fides supplebit largissime.

Patriam noster sortitus sibi est Almam hanc Ro-
stochianam communem illam bonarum artium lite-
rarumque nutricem, in qua anno supra millesimum
sexcentesimum sexagesimo, die octava Januarii, prodi-
dit in lucem. Patrem habuit WALTHERUM STEI-
NIUM, Xenodochii quondam hic Antistitem fidelissi-
mum & Mercatorem Florentissimum, qui filius fuit
Dn. Johannis Steinii, Archi-Diaconi quondam ad D.
Jacobi apud Lubecenses templum optimè meriti. Ma-
trem vero coluit omnibus tœminei sexus virtutibus
condecoratissimam *Annam Hinckelmannis / Davidis Hin-*
ckelmanni, Mercatoris hic olim maxime industrii Filiam,
& Neptem *Da. M. Petri Hinckelmanni*, ad D. Jacobi hic Ar-
chi-

chi-Diaconi qvondam meritissimi, ejus postea locum
affectu verè paterno supplevit B. *Matthias Priestaff* Vir
antiqvæ fidei & Senator hujus Civitatis Fulgidissimus.
Optimis his atqve Spectatissimis progenitus Parenti-
bus, per sanctissimum regenerationis fontem in nume-
rum filiorum DEI receptus, cura autem admodum-
laudabili ac fidelissima educatus, tam compositis ac e-
mendatis semper inde à pueritia assuevit moribus, ut
scut in herbescente segete læta viriditas futuræ messis
indicium est, sic in ipso jam tum observarentur argu-
menta haud obscura, qvæ idem promitterent, qvod
nos omnes postea compertum habuimus, fructus ni-
mirum optimos eosdemqve uberrimos. Literarum
ac doctrinarum studia intimo à pueris prosecutus fuit
amore, qvibus se applicuit tanto felicius, qvo docilius,
ad percipienda illa ingenium meliori nascendi consecu-
tus tuerat lege. Postquam hic in patria, Præceptore
usus fuerat M. *Job. Justo Mohrio* Rectore Scholæ oppi-
danæ Per Industrio & dehinc privata informatione M.
Pauli Henningi olim Pontificii, postea orthodoxam re-
ligionem Professi & Ecclesiæ Reknizensis Pastoris fide-
lissimi, eaqve didicerat sedulo, qvæ ipsi ad istam,
qvam sibi proposuerat metam, summe erant necessa-
ria, anno MDCLXXVI. adeoque decimo septimo æ-
tatis suæ anno, unacum Fratre suo *Johanne Steinio*,
hodie J. U. D. ejusqve apud Regiomontanos Professo-
re Celeberrimo, sub auspiciis & ductu potissimum Dn.
Johannis Sibrandi, J. U. D. Decretalium Professoris Ce-
lebratissimi, istoqve jam tempore Facultatis suæ Seni-
oris Gravissimi, ad juris prudentiam summo cum ardo-
re animum applicuit, neatiqvam tamen lectiones &
Collegia Lauterbachiana aut Feudalia aliaqve à reliquis

Professoribus in Alma nostra tunc magna cum nomi-
num suorum celebritate viventibus, *Redekero*, *Radovio*
& *Lembkenio* aperta, neglexit, sed potius iisdem & fre-
quentissimus & maxime assiduus interesse studuit. Ne
vero omne in patria consumeret tempus, proficuum
sibi judicavit, exteras invisendi Academias. Salutavit
omnium primo vicinam *Gryficam*, in qua anno
MDCLXXIX. publice privatimque docentes audivit
juris Antecessores Excellentissimos DN. D. *Fridericum*
Gerdesum & DN. D. *Petrum Mascovium*, quem in hunc
usqve diem superstitem, inque senio suo viribus æque
corporis ac ingenii egregie valentem ut Divina gratia
omnigena ulterius benedictione coronet, & gratiose ser-
vet, meditullitus precamur. Diutius ibidem substitisset
Beatus, nisi obitus Optimi Genitoris, qui duodecim
post se reliquerat liberos, seqventi insecurus fuisse an-
no, adeoque redditum in hanc nostram imperasset Al-
mam. Triennium itaque denuo in Patria sua transe-
git, non turpi deditus otio, sed studiis juridicis sum-
ma incumbens cum solertia. Testes sunt Disputa-
tiones publicæ ad ternarium usque numerū, quas
præviis Brunnemanni exercitationibus, Præside *vn. D.*
Sibrando, antea, à nobis Laudato, Respondentis munere
fungens, omnium cum applausu defendit. Hac ra-
tione insignia sibi acquisiverat studiorum incrementa,
proinde patios inter diutius hærere lares minime
consultum judicavit, sed anno superioris seculi octo-
gesimo tertio, unacum fratre antea nominato, quem
& in Academia Gryphica Commilitonem habuit, ad *Re-*
giomontanam concessit Academiam, ut Viros ibidem eru-
ditos non coleret tantum sed ex eorum quoque infor-
matione & cu n illis crebriori instituta conversatione
doctior

doctior evaderet , hisque mediis recte adhibitis , istam
nominis studiorumque suorum reportaret famam , qvæ
ad capiendos ex his fructus & alios allieere posset . E-
venit hoc ex animi sententia atque sic satis feliciter :
Siqvidem per integrum & qvod excurrit quadriennium
ibidem commoratus non modo JCultorum freqventa-
vit auditoria , sed occasionem qvoqve nactus est inservi-
endi aliorum commodis , dum Juvenes Generosos ac
perpolitos Job. Christophorum & Georgium Ludovicum , Fin-
ckios à Fockenstein , Domini Finckii à Finckenstein , Con-
filiarii Provincialis Borussi Electoralis & Gubernatoris
Schakensis Filios feliciter instituit , alicsqve ex Com-
militonum suorum numero in Politicis ac Juridicis pa-
ri cum fructu docuit . Anno MDCLXXXVII. locum
hunc mutare constituit . adeoque cum aliis duobus Ge-
nerosis Dn. Edwaldi Georgii Lettovii filiis natu majori-
bus , Cracoviensem in Polonia Academiam invisit , in qua
tamen ut diu subsisteret , cœcus ille , & qvi nequaquam
pro veritate sed potius pro mendacio propugnando
Pontificios occupavit homines , Zelus haud permisit :
Adiit itaque anno sequenti Warsawiam & dehinc Thoru-
num studio lingvæ Polonicæ à juvenibus curæ ipsius
concreditis addiscendæ . In his locis jus tam Civile
qvam Feudale , juncto Processu Brunnemanniano , non
tantum juvenibus modo nominatis , sed & aliis pluribus ,
qvi iisdem se associaverant , exposuit , proposuit ac
insigni cum fructu absolvit . Qvibus peractis solli-
citabatur qvidem Noster , ut cum dictis Lettovis ad ho-
rum Patrualem DN. Christophorum Lettorw Supremum
excubiarum Magni Ducatus Lithuaniae Præfectum &
Mareschalcum Starodubiensem , Vilnam migraret . Sed
nondum memoriae ipsius exciderant adversa illa , quæ

Cracovia

Cracovia ob religionem sibi pertimescenda fuerant fata, a-
deoq; maluit dulcissimam repetere Patriam inque hac
promeritos ambire honores, quam animam suam discri-
mini commode evitando exponere, unde spartam,
alias non spernendam resignare nullus dubitavit. Rediit
ergo ad suos anno MDCLXXXIX. & qvæ sibi pro-
posuerat strenue executus est. Siqvidem ut ad examen
eqve privatum ac publicum pro supremo obtinendo
Gradu admitteretur, à Facultate Juridica modeste pe-
tiit & facile obtinuit. Cumque in priori ornijum ex-
pectationi satis omnia fecisset, die 29. Augusti, Praesi-
de Dn. D. Sibrando non Inauguralem tantum Disputatio-
nem, quæ Conclusiones forenses de contractibus à Jurispru-
dentialia Justiniana diversas exhibuit, maxime defendit, sed
actu quoque Disputatorio finito, Eodem Sibrando Deca-
no ac Promotore, Procancellario autem Dn. D. Jacobo
Lembkenio Juris U. D. & Professore ac dehinc Urbis hu-
jus Consule tiara Doctorali pro meritis insignitus fuit.
Noluit autem in solo Doctoris acquirencere titulo, sed
paſam ostendere collaboravit, quem in finem gradus ho-
norum licite ambiri & possint ac debeant. Aperuit ita-
que privatas in Jure Scholas suamque Juris scientiam
probe exaciatam non domesticis modo sed & publicis
declaravit disputationibus. Nominari hic merentur
disputationes Juridico Politicæ in Job. Christiani Beermannii
Meditationes Politicas Anno 1689, 1690. & 1691. habi-
tae, ut & Disputatio Juridica exhibens Dissonantiam Ju-
ris Civilis & Moderni ex Tit. i usq; ad 8. lib. i. Ju-
stin. An. 1692 proposita. Publica hæc eruditioñis &
industriæ specimina Amplissimum hujus Urbis Sena-
tum, Academiæ Com-Patronum Munificentissimum,
commoverunt, ut Steinum nostrum ad Professionem
Codicis,

Codicis, qvam Vir illustris Dn. D. Georgius Radovius apud Lubecenses tunc Syndicus & Capituli Præpositus vacuam reliqverat, vocarent. Facta est hæc surrogatio d. 2. Maji Anno MDCXCIII, qvæ non legum tantum Cultoribus sed toti nostræ Academiæ admodum proficua & salutaris fuit. Evictum hoc dabitur facile, si juxta annorum seriem hic recenseamus qvæ in publicum emissa sunt ab ipso scripta Academica:

Disput. Juris Publica. De Monarchia limitata Anno 1696.
Fasciculus Conclusionum Theoretico - Practicarum de Delictis,

Resp. Carol. Ern. Lib. Baron. à Schwan anno 1698.

Disput. exhibens Diffonantiam Juris Civilis, Canonici & moderni ex Tit. 9. 10. 11. 12. Libri I. Instit. Justin. eorumq[ue] occasione collectam, anno 1696.

Discursus de Utilitate disputandi in Academia & iſtius comparatione cum Disputatione in foro, quo exercitium publicum Disputatorum in XXV. Dissertationes in Pandectas B. Dn. Joachimi Schnobelii abs V. Respondentibus habitas intimavit, anno 1702.

Disput. exhibens Diffonantiam Juris Civilis & Hamburgensis in contractibus anno 1703.

Collegium Disputatorium IIX. Exercitationibus Selectiores Juris Controversias ad ordinem titulorum in Institutionibus congestas continens. Anno 1709. sqq

Disputatio de Ebrio Delinquente. Anno 1710.

Disser. exhibens Diffonantiam Juris Civilis & Juris Canonici cum usu Fori circa Pacta. Anno 1712.

Juris controversi Theoretico - Practici Decas. Anno 1714.
Quibus accedunt Disputationes Inaugurales.

De Diffensu JCTorum circa Forum Patriæ anno 1701. Resp.
Conrado Stein, Beati Fratre, hodie in Academia Regionale Jurium Profess. Publ.

B

De

De Avectione cause anno 1703. Resp. Christoph. Knövenagel, Gustrov. Meckl. Judicij Provincial. Mecklenb. quod Gustrovii nunc floret, Advocat, Ord.

De Matricula Imperii novissima, consensu Imperatoris & Statuum confecta anno 1704. Resp. Jac. Dörffs / Gustrov. Meckl. Judiciorum Ducalium hic Advoc. & Procurat. Ord.

De Alienatione immediati Feudi Imperii Anno 1709. Resp. Joh. Ulr. Pauli, Hamb. in Patria nunc Advocat.

De Protestatione secreta Anno 1712. Resp. Fridr. Vermehren / Lubeccens. Dicasterii Meckl. Advoc. Ordin.

De Dolo Praesumpto in rebus per se licitis Anno 1712. Resp. Bartold. Christoph. Baleke, Parchim. Mecklenb. Regiminiis Ducal. Ratzeburgi Assess.

De reluitione Feudi Oppignorati Anno 1716. Resp. Valent. Joh. Beselin, Rostoch. Cancell. Advoc. Ord.

De eo, quod juris est circa Portionem Conjugis statutariam in Pomerania Orientali, occasione Testamenti Hillianie Anno eodem, Resp. Joach. Lüttke, Cöslin. Pomer. in Patria Advoc. Ord.

His denique accessuræ erant, censuræ jam jam subjectæ & ex parte typis exscriptæ:

De juribus singularibus circa successionem legitimam in bonis Hamburgensium, &

De Felonia; Quarum istam Dn. Eggertus Wolffius, Rostock. B. Affinis proximus; hanc autem Dn. Dan. Christoph. Ehrentien, Crivitz. Mecklenb. pro impenetrando Doctoris Gradu examini publico exposituri erant. In his omnibus vel elaborandis vel dirigendis haud vulgarem adhibuit industriam, unde non in nostra tantum Academia sed apud Exteros quoque justum invenerunt pretium & Eruditorum cum primis Jurispruden-

prudentiæ additorum gratum promeruerunt applau-
sum , quæcunque sub STEINII nostri nomine in publi-
cum prodiere scripta . Et quantus nobis non forman-
dus esset Lectionum æque Publicarum ac Privatarum
Catalogus , si justo ordine omnes & singulæ recensem-
da essent , quibus optime de studiosa meruit Juventu-
te ? Singulis diebus quatuor vel quinque ordinarie
impendebat horas , ut Legum Peritos formaret in Scho-
lis suis probe exasciatos , imo quandoque textam &
plures addere solebat , si adessent . qui ipsius Manu-
dictione frui cuperent , (aderant autem satis frequentes ,)
qui omnes solidam ac profundam STEINII nostri ad-
mirabantur in quacunque Jurisprudentiæ parte doctri-
nam , Methodi facilitatem & in proponendo perspicui-
tatem ac dexteritatem . Quodsi jus exponendum Ci-
vile per Institutione , & Pandectas ; si jus docendum Feuda-
le aut Publicum ; Si Practica desiderarentur Collegia ;
si Examinatoria aut Disputatoria Privata ; ad quocun-
que docendi ac instruendi genus Noster semper erat pa-
ratissimus . Ne vero quispiam cogitet , hunc juris
Antecessorem ex longo rerum usu ea tantum propo-
suisse , quæ docenti memoria suggeslit , adeoque abs-
que debita præmeditatione Eundem promiscue effuti-
isse , quæ ipsi in os venerant ; Contrarium hic uti-
que testari necessum habemus . Nunquam enim nisi
extrema urgente necessitate , illotis quod ajunt manibus
aut imparatus suum ingressus est auditorium , sed ac-
curate præmeditatus est omnia , quæcunque singulis
proterenda erant momentis . Unde primo surgebat ,
mane ; hora audita quarta ipsum ex lecto evocabat
Imo & quandoque , æstivo præprimis tempore , tertia
Eundem alacrem vidit & ad subeunda negotia per ex-

peditum; Qvod omnes contestari possunt, quotquot
unquam B. habuit domesticos. Noluit enim inani Pro-
fessoris titulo se aut alios fraudulenter decipere ac fallere,
sed memor semper extitit statuti quod tertium est Col-
legii Facultatis Juridicæ, cuius initialia sic sonant ver-
ba: *Cum Receptorum in Facultatem Juridicam officium*
præcipue postulet, ut cupidam LLum juventutem pro virili
in utroque jure erudiant, & quantum fieri possit, optima
ratione docendi utantur &c. Unde etiam die, placidam
Viri Laboriosissimi mortem antecedente proximo, ad-
stantes his allocutus tuit verbis: Ich habe mirs Zeit
Lebens sauer werden lassen / und so viel mir möglich
gearbeitet / nun schicket mir GOTT dieses zu / daß ich
nicht meine Arbeit fortführen kan. Quibus verbis non
ad suas tantum respexit Lectiones, sed ad reliqua iti-
dem negotia tam publica quam privata, quibus partim
de nostra optime meruit Universitate, partim exterio-
rum satisfecit desideriis. Sic Rectoratum Religiosissi-
mus hic Justitiarius in Academia sex vicibus gessit, ni-
mirum (1.) Anno 1694. (2.) Anno 1698. (3.) Anno 1704.
(4.) Anno 1707. (5.) Anno 1710. (6.) Anno 1716. Cum
que Senatorii Professores Sceptra Academiæ tenentes
per tempus hybernum regimini præsint, eoque ipso
majores plerumque experiantur molestias ac difficul-
tates, his nunquam territus aut fractus, sed animo
constantí fideqve immota suo semper ita defunctus est
officio, ut nihil adeo molestum aut difficile judicaret,
qvod labore & affectuum integritate superari non pos-
set. Talem qvoqve se præstítit, quoties *Decani Ma-*
xime Spectabilis Dignitas, & cum hac onerosissimæ
ad ipsum devolutæ essent Facultatis Juridicæ expedi-
tiones. Norunt, qvoqvt antiquæ probitatis Virum
intimius

intimius cognoverunt , qvanta cum accurratione qvan-
taque semper cum mentis Judicique intentione volve-
rit atque revolverit Acta ad Facultatem Juridicam trans-
missa , ut in dandis Responsis aut terendis sententiis
conscientiose ac juste incederet . Non perfundorie
aut fugitivo percurrebat oculo qvæ legenda & dijudi-
canda erant , sed notatis omnibus causarum circum-
stantiis ac momentis defixis in ea penetrabat cogitatio-
nibus , omniq; seposito personarum respectu ea scribebat
ac pronunciabat qvæ Veritati justitiæ & Honestati erant
conformia . Pie meditans , qvod supremo Legum
Latori ac Judici justissimo de omnibus nostris actioni-
bus , partim in novissima vitæ hora , partim in extre-
mo judicio reddendæ sint rationes . Certus erat ,
DEUM justum esse , qui rationem administratæ ali-
qvando posset justitiæ , unde tanto studiosius eo enite-
batur , ut illum haberet propitium , qui neque verbis
decipi , neque donis corrumpi , neque minis territa-
ri , neque precibus flecti , neque excusationibus pla-
cari potest . Erat quidem in mutandis opinionibus ac
sententiis , præprimis si trutinam subierant , haud faci-
le mobilis : Verum , ut in navigando tempestati obsequi
artis est , etiam si portum tenere nequeas ; sic in rebus humanis ,
qua varia sunt ac sui dissimiles , opinionem mutare ; cum Bo-
dino rectè pronunciante , honestum judicabat ; Unde suos
nunquam ita colebat fœtus , ut aliorum accessiones &
emendationes sperneret aut negligeret , potius lubens
admitteret , suamq; prudenter vel mutaret vel con-
formaret mentem . Talis erat Facultatis Juridicæ Ordi-
narius Adiutor , Talis qvoq; in Amplissimo Inclitoq; Collegio Decanus . Unde factum , qvod in casibus qui-
buscunq; difficilioribus Steiniana non solum expete-
rent

rent consilia qui Rostochium inhabitant, aut nobis vici-
ni sunt, sed Exteri qvoque & remotiores per illa Iu-
am promotam firmatamqve cupiebant salutem. In-
hoc spectabili constitutus Dignitate, Doctorali ornavit
axiomate, qvorum plerorumqve occasione Disputati-
onum Inauguralium jam mentio facta, leqventes:

Anno 1709. *DN. Job. Ulric. Pauli* Hamburg.

Anno 1712. *DN. Georg Wilhelm Käppen*, Lüneburg.

Ducalium hic judiciorum Advocatum, qvi jam
Anno 1710. post habitam de Advocato injuriante
disp. inaugural, abs Perillustri nostro *DN. Schäpfero**
ro, Licentiatus proclamatus fuerat.

DN. Martin. Albertum Willebrandum Rostoch Dica-
sterii Mecklenburgici Advoc. Ord. qvi & ipse jam
anno 1709. de Verbis Honoris, vulgo Compli-
menten, Præside Laudato *DN. Schäpfero* inaugu-
raliter disputaverat.

DN. Fridericum Vermehren &

DN. Bartold. Christoph. Baleken

Anno 1716. *DN. Valentijn. Job. Beselin*, qvo eodem
simul actu *DN. Joachimo Lüttken* Licentiam pub-
lice contulit Doctoratus Gradum & Privilegia al-
sumendi.

Eundem qvoqve Doctoris gradum, si Deus ulteriorem
largitus vitam fuisset, supra laudatis *DN. Wolffio* ac *DN.*
Ehrentin collaturus propediem erat, qvi duodecim vici-
bus summo cum nominis sui & meritorum decore De-
canatum gesserat, utpote (1.) Anno 1695. (2.) Anno 1697.
(3.) Anno 1700. (4.) Anno 1702. (5.) Anno 1704. (6.) Anno
1706. (7.) Anno 1708. (8.) Anno 1710. (9.) Anno 1712.
(10.) Anno 1714. (11.) Anno 1715. (12.) Anno 1717.

Scepius etiam Serenissimi Principis Legati ac

Pro

Procancellarii munere functus est, ad diribendos hono-
res Academicos Serenissimi ac Potentissimi Ducis Re-
gnantis nomine potestatem atque licentiam concedens.
Quemadmodum & alii Candidati, qvamvis gradum
nondum adepti, ejus sub Decanatu examen rigorosum
sustinuerunt, uti Dn. Joh. Deckerus, Rostoh. Statuum
Provincialium Secretarius Dn. Andreas Vogel Ro-
stoch. Dn. Hermann. Reuter. Gustrov. Cancellariæ heic
Advocati. Dn. Valentin. Jul. Stifer, Amplissimi Senatus
Rostoh. Secret. Dn. Eggertus Wolffius & Dn. Dan. Christoph.
Ehrentin, supra nominati. Sed hæc omnia B. in Facul-
tatem Juridicam merita fusius & curatius exponet Spe-
Etatissimus qui hodiæ est illius Facultatis Decanus,
Per. Illustris Dn. Schoepferus, Paucis hic attingenda quo-
que erunt, quæ in ambulatoriis, ut vocari solent, officiis,
egregie præstítit pie Defunctus. Sive enim mensæ
Communi præcesset ut Inspector, sive ædificiorum Acade-
demicorum curam gereret ut Quæstor, sive quæ ad
publicam spectant Academiæ nostræ Bibliothecam, pro-
curaret, aut stipendia in gratiam studiosorum admi-
nistraret; in omnibus indefessam semper adhibuit o-
peram, fidem interneratam & Industriam nunquam
satis laudandam. Qvoties autem Promotoris in mode-
rando recteque administrando Academiæ regimine
munus ipsi conceditum, toties Rectores Academiæ
Magnifici sibi impense gratulari potuerunt de Adju-
tore Consultissimo, Prudentissimo, Integerrimo at-
que Dexterimo. Talem enim semper inventi, Talem
qvoqve laudabunt & celebrabunt reliqui ad unum o-
mnes, qvibus hoc felicitatis genus sub gravissimo Re-
ctoratus oriere contigit. Neqve silentio prætereundum,
qvod in duobus Collegiis Senioratus dignitas ad B. devo-
luta

luta fuerit. Cum enim Vir Generosus ac Per Illustris
DN. d. Klein Professorio valedixisset officio, ipse rece-
ptionis ordo exigebat, ut STEINIUS Facultatu juridice
Senior salvaretur; qyemadmodum idem honor in Am-
plissimo Professorum Senatoriorum Collegio Eundem exce-
pit, qvam primum Joh. Nicol. Qvistorius maximorum
meritorum Theologus mortal is esse desiit. In utro-
que autem Co legio nemini unqvam se exhibuit gra-
uem aut molestum, neqve sua unqvam abusus tuit au-
toritate, sed qvalis junior talis etiam tuit Senior. Omni-
bus suavis, gratus & amabilis, qvi non suam qværeret
gloriam aut suis dolose interficeret commodis, sed /uum
cuiq tribuere didicerat, & plus aliorum qvam suæ utili-
tati & famæ omni tempore intentus vivebat. Inter
tot labores, qvos B. pro publica privatorumque salute
fortiter sustinuit, præcipuas Eidem post Deum omnis
gratiæ veræque voluptatis fontem, attulit recreatio-
nes, quæ tori yitæque Socia indissolubili amoris con-
jugalis nexu à DEO ipsi data erat. Siqvidem per ali-
quot jam annos officio functus erat Professorio, cum
probe intelligeret, cōmodius eligendum esse vitæ genus,
quapropter anno superioris seculi nonagesimo septimo
d. 8. Julii, nuptias celebravit cum Virtuosissima Virgine
CATHARINA MARGARETHA WOLFFIA, B.
Dn. D. Francisci Wolffi, t. t. Theologiæ Professoris &
Pastoris apud nos Mariani ac R. Ministerii Directoris,
postea autem apud Hamburgenses Pastoris Nicolaita-
ni Meritissimi & Anna Schuckmannie, Filia natu majo-
ri, B. Dn. D. Hermanni Schuckmanni, Professoris hic
quondam Theol. Ducalis & Consistorii Provincialis
Asseboris, dehinc Concionatoris Aulici Prim. & Su-
perintendentis Gustroviensis Optime Meriti, nec non

MARGA-

Margaretha Lembkenia Nept. Nulla quidem prole fortunatum fuit hocce conjugium, verum neutra conjugatorum pars unquam ex hoc defectu aliquam felicitatis suæ vel in his terris beatitudinis tensit inopiam; Cum enim Deo ita visum esset, ut improles viverent, mutuus utriusque amor mansit eo fortior, in quos descendederet vel derivaretur, haud existentibus. Et quas hac in parte denegaverat supremus rerum humana- rum Arbitr delicias, aliis iisdemque multifarijs compen- saverat modis; siquidem reliqæ Divinæ benedictio- nes nobili huic Conjugum pari quotidianam gauden- di materiam affatim suppeditarunt. Nullæ unquam hos inter auditæ sunt discordiæ, multo minus rixæ aut contentiones, sed una amborum erat voluntas hone- stissima; idem erat ipsorum velle idem & nolle. Non sibi sed alteri vivere studebat unaquæque pars enixissime, unde & eam, quæ nunc proh! facta est, scissuram, tanto majori mentis ægritudine sentit superstes *Vidua Mæstissimæ*, quo ardenter semper Opti- mum Maritum prosecuta est affectu eodemque per blandissima colloquia & haud fucatae charitatis opera subinde excitato. Testes doloris acerbissimi sunt lacry- marum imbræ qvibus per noctes atqve dies suam de- plorat jacturam eandemque irreparabilem, & quot- quot nunc audiantur lamentabiles ac querulæ voces, illæ omnes ac singulæ loqvuntur castissimum & nun- quam defatigatum amorem, qui mutuus ac sine labo sincerus STEINIUM & WOLFFIAM hactenus inti- me univerat. Talis, qualem hactenus rudi delineavi- mus penicillo, extitit in externæ vocationis officio, inque conjugio, utroque satis felicissimo. Si pro me- ritis hic recensendæ essent reliquæ Ipsius virtutes & quæ ut Christianus præclare gesit, amplissima lese mi-

hic aperiret dicendi campus : Ast nunc præcipua tan-
tum attingam omni laude dignissima , quorum noti-
tia nemini ignota , quæque nos non in admirationem
solum sed ad imitationem quoque syaviter trahunt at-
que invitant . Si specialiori sensu *Pietas* est primæ
tabulæ ad divinas leges spectantis virtus , hæc altissi-
mas in corde Defuncti egerat radices . Non in publi-
cis tantum conventibus , quibus Deus colitur , humil-
limæ Deyotionis suæ offerebat sacrificia , sed in pri-
vatis qvoqve ædibus aut ubicunqve locorum esset , su-
premium religiosissime venerabatur Numen ut præsen-
tissimum , justissimum , interna æternaqve adoratione
dignissimum . Quoties publicum frequentare licuit
Verbi Divini præconium , nunquam suas eidem sub-
traxit aures , nisi extremæ aliud imperarent necessita-
tes , quæ *Nostrum* templo exesse juberent . Quod circa
vocabulum PIETAS ingeniose non nemo observavit ,
si literarum fiat transpositio , sequentes formari voces ;
J PETAS , & SAPIET : Quibus innuere voluit , Pie-
tatem nos excitare ad preces , & hoc ordine promitte-
re sapientiam . Idem B suo expertus est & compro-
bavit exemplo luculentissime . Spiritus gratiæ & pre-
cum frequentissime Eundem excitabat , ut modo publi-
ce in templo modo privatim in musæo , cum Patre suo
Cœlesti colloqueretur . Iplemet ego multoties non
sine animi commotione observavi , quod diebus festis
aut Dominicis , quando cœtus ecclesiasticus à saecis
cessabat cantionibus & organicus suam interea artem
exerceret , aut unacum Instrumentali Vocalis audire-
tur Music , quam suæ devotioni non satis commodam
judicaret , omne illud tempus non versis circumqvaqe
œulis , non scandalosis confabulationibus , aut vanis
cogitationibus ; sed pīs meditationibus legendis inque
animæ

animæ suæ solatium ac ædificationem convertendis
plerumque insumere solitus fuerit. Dignum quoque
est ut hic commemoremus, qvod B. Pietatis haud fau-
tæ studio Deditissimus non more novorum sanctulorū
rum, Fanaticorum deamaverit scripta, sed purioris
doctrinæ semper sectatus fuerit Theologos, horumqve
præprimis Henrici Mülleri & Joachimi Lüttkemanni, li-
bros sibi reddiderit familiarissimos. Neque in eo ac-
quievit ut suæ rationem haberet animæ, sed qvotqvot
in ipsius fuerunt famulitio, illis quoque quavis occasio-
ne pietatem instillavit & ut vespertino tempore suas
sectum ad Deum preces funderent, religiose observa-
vit. Hac ratione singulis diebus, ad exemplum A-
brahami, coram Deo ambulavit integerque esse studuit,
non ut coram mundo aliquam affectaret famam aut no-
minis gloriam, sed ut salutem suam in tuto colloca-
ret, & æterna aliquando cum Deo suo frui etiam posset
conversatione, quæ meta ipsius fuit unica. Interim
erga semetipsum & proximum suum, secundæ qvoqve
Præceptorum Divinorum tabulæ nunquam vixit im-
memor. Superioribus suis justum semper præstitit
obieqvium ac honorem, Collegas suos dilexit ut Fra-
tres, cumqve illis concordiam servare omni adlabora-
vit studio. Immoderatam sententiarum discrepan-
tiā ut salutis publicæ pestem fugiendam esse, recte o-
mnino statuebat, licet moderatam dissensionem uti-
lem crederet, modo ad unum scopum salutem reip.
dissidentes omnes colliment. Studio neminem offen-
debat unqvm, sed pacem colere eundemqve forte-
fractam aut ablatam redintegrare ac recuperare omni
nisi contendit. In conversando neqve nimia ute-
batur familiaritate neqve ingrata severitate; Faciem
averlabatur *Lycurgi frontemqve Catonis*: Comitatis o-
mnes

mnes obire numeros didicera^{nt}. Haud eqvidem lo-
qvacitatis erat studiosus , potius eandem inter vitia
reterebat , & quod de qvocunque verbo otioso DEO
rationem reddituri sint homines , sc̄epitus meditabatur;
quoties tamen ad mentem D. Apostoli Pauli Eph. IV.
29. Sermo proferri poterat commodus, ad ædificationis
usum dirigendus , qui gratiam adferre posset auditio-
ribus , ex bono cordis sui thelauro expedite ac ner-
vose proponebat, quæ vel Divini Nominis gloriam il-
lustrare , vel proximi salutem promovere , aut licitis
modis societatem delectare poterant. Amicorum
suorum se nunquam subtraxit desideriis , neqve re-
pudium dedit illis, cum quibus semel bona fide ami-
citiæ fœdus inierat. Cum quibus vel sanguinis
aut affinitatis vinculo intimius conglutinatus erat , il-
los ut sibi magis magisqve obstrictos redderet , sollici-
tati semper impendit operam. Si quæ ipsi obla-
ta occasio provehendi aliorum commoda , omnem
profecto movebat lapidem , ut ad Christianismi se
componeret regulas; nullam inde captans gloriam,
nullum inde sperans lucrum ; Imo & suas libera-
liter admovebat facultates , ut aliorum sublevaret ino-
piam. Nunquam inveni Religiosissimum hunc Vi-
rū difficulti aut morosum , quoties Ipsius pro ege-
nis aut afflictis sollicitavi liberalitatem, aut doctrinam,
aut consilia ; sollicitavi autem quam sc̄epissime. Ipse
met pronissimo erga miseros quoscunque ferebatur af-
fectu , præprimis autem erga omnium scientiarum stu-
diosos eundem demonstravit promiscue ac luculentissi-
me. Si qui erant, qui integrum Juris cursum ipso
Doctore ac Professore audire ac absolvere cuperent, nul-
lum autem pro tanto labore stipendum solvere pote-
rant, eadem fruebantur qva reliqui informatione , pari
gaude-

gaudebant institutione ac doctrina. Recentissimum
habemus in *Treffnero*, haud ita pridem, relictis Ponti-
ficiorum sacris, Religionem nostram professo,
exemplum. Nemo facile est in toto hanc civitate,
qui ardenter animo aut insigniori opere, suum te-
status fuerit erga dictum Fidei nostræ Confes-
rem affectum, quam noster STEINIUS. De victu
ipsi prospexerat, Informatione sua Eundem beave-
rat, pecuniam Eidem haud denegaverat: Qua
autem ratione amiciri ac necessariis vestimentis,
quibus *Treffnerus* in hunc usque diem destituitur,
indui poslit, plus una vice mecum collocutus est
incomparabilis hic egenorum studiosorum Patro-
nus, (qui nunquam cibum capere solitus fuit,
nisi studiosus quidam in paupertate ac egestate vi-
vens de eodem simul participaret) & certe piam
hanc haud deseruisse intentionem si in vivis man-
fisset. Ast nunc Patronorum suorum Princi-
pem ad celestia evocatum dolet *Treffnerus* exquisitis-
sime, & qui ejus suppletat imposterum vices, à Divi-
na exspectat providentia. Neqve solam tanto
affectu prosecutus fuit Noster studiosam juventutem;
Qvotqvot reliqvorum ordinum & conditionum ho-
mines ipsius efflagitabant operam, eandem invenie-
bant pro viribus promtissimam. Haud qvippe
poterat qvempiam à te dimittere nisi eundem vel
auxilio, vel consilio, aut ad minimum bono qvodam
verbo, ad mentis tranquillitatem aut confidentiam
revocasset. Hominem itaqve se præbuit omnibus
i.e humanum ac benevolum, cui qvidem juvan-
di quandoque deerant vires, animus autem nunquam
Commendabant se hæ plane eximiæ STEINII
Nostri virtutes tanto magis, quanto studiosus eas-

G 3

dem

dem occultare adlaborabat. Nunquam jaetabundus gloriabatur de iis quae praestiterat. Sinistra ignorabat quod dextra efficerat. Benefacere solitus erat, non ut nomen consequeretur, sed ut obsequiosum se se susteret Deo, cuius haec in Prophetia Michæ c. VI. 8. leguntur verba: *Indicavit tibi, o homo, quid sit bonum: ecquid Jehova requisiuit abs te, nisi ut exerceas ius & ames benignitatem & modeste ambules cum DEO tuo.* Non scribo haec facta quadam relatione sed aetus, aut nimio erga pie Defunctum affectu abrepitus, sed ad convictionem usque de his omnibus perswasissimus; & hoc ipso momento recordari subit, quam paternum semper demonstraverit erga pupillos suos animum. Duos reliquerat *B. Starckius* Universitatis hujus quondam Theologus Excellentiss. filios Theologiae studio consecratos, horum STEINIUS Noster curam gerens, tanta profecto animi applicatione ipsum procuravit commoda, acsi ipsemet eorundem extitisset Genitor; quod variis documentis mihi probatum dedit & nuperrime adhuc testatus est insigniter.

Sic, qui non sibi sed aliis yixit, vitæ transegit curriculum, nobisq; omnibus etiam post fata virtutum omnium reliquit exemplar, quod intueri, quod admirari, quod imitari decet quam maxime. Utinam diutius eodem praesente frui licuisset. Verum cum rationem de occultis Dei consilis quarere, Gregorio teste, nihil aliud fit, quam contra consilia ejus superbitre; nunc in mera divina nobis acquiescendum est voluntate, cui Laboriosissimum hunc Virum ad æternam introducere quietem placuit. Erat duodecima post SS. Trinitatis festum dies Dominica, qua, horis ante & pomeridianis, publicis sacrâs interfuerat Beatus, tempore autem vespertino ipsum nonnulli circa dorsum exercebant dolores, qvi per sequen-

sequentem noctem effecerunt, ut proximo Lunæ die
valde debilitatus consiperetur. Accesserant in pedi-
bus tumores infausta præfigentes, noluit tamen se pe-
nitus lecto committere, præprimis cum dicto & sequen-
tibus diebus, nullis vel modicis inquietaretur cruciati-
bus. Dignum notatu est, quod Conjugi Dulcissimæ ipsum
circa feriæ sextæ vesperam, ut quietem in lecto quæreret,
sollicitanti responderit: Sie möchte ihm noch ein wenig
sich lassen: Wer wüste / ob es nicht die letzte Nacht seyn
würde. Interim is qui tunc erat corporis status meliora
sperare permittebat usque ad ingruentis diei crastini at-
roram, qua illucescente vires defuncti nimium attenu-
atae observabantur, unde & hora circiter quinta somnum
appetere visus est, ita tamen, ut si quispiam ipsum allo-
queretur, oculos aperiret sensuumque sic significar-
ret præsentiam. Cumque Vir Plurimum Rev. Dn. D.
genstius, ad D. Mariæ templum Archi-Diaconus merissi-
mus, verba ad ipsum faceret, illa ex parte percepit, siqvi-
dem breviorem quoque reposuit responsonem: Verum
mox iterum somno submersus, donec hora nona illa ipsa
decima Septembbris die, sine ullo mortis sensu, inter pre-
ces adstantium placidissima exspiraret morte. Causam
præmaturi hujus discessus, siquidem quinquagesimum
nonum tantum agebat annum, Vir Prae-Nobilissimus
atque Experientissimus Dn. Georgius Dethardingius, Med.
D. & Prof. Duc. Publ. Ord. Celeberrimus, Fauor atq;
Collega Noster & stumatissimus, seqventibus delineavit:
Jubear historiam Morbi conjoncture Viri inter Religiosos primi, inter Erm-
ditos classici, inter Probes optimi, inter Amicos probatissimi, inter Inimicos
Pacatissimi, inter fama fulgidos clarissimi, solius Invidie, Literatorum
Thaidis, Hostis acerrimi. Si Doctores unquam hac culpa redarguit, quod
aliis inserviendo se ipsos consumant hunc Doctorem ardor in proximi com-
moda conflagravit, ut otiosus admodum sit, qui se otiosus illum reperisse
affirmaverit. Hac ergo lubido dies dars Auditoribus & noctes lucuba-
tionibus,

tionibus , nervos hujus adeo solvit, ut , quando ad illum vocabar, delan-
hem invenerim. Animus arduis superandis astutus nec quidem sub hac
afflictione volebat remittere , & quamvis Arthritis vaga corpus undiq.
vexaret , hanc tamen huic permittere , ut in lecto decumberet. Omnes,
quod ipsi profulcro , erant sella & baculus , adeo , ut his , qui illum adie-
bant, non poterant non in memoriam venire qua olim Cesar : Imperatores
non decere , nisi stantes mori. Pugnabatque tamen contra morbum hunc ,
remedium tam ipsi familiaribus , quam que Methodus Medendi mihi im-
peraverat , sed sub his lucis Lethargus interveniens omnia composuit , non
quidem ad desiderium horum , qui virum hunc noverant ; ast ad man-
datum Ejus , qui laboribus suis Colophonem imponere , & quod satis pu-
gnatum erat , palmam tradere constituerat. Obdormivit ergo festi
instar , & tacitus sui memoriam , nobis omnibus commendavit
Sempiternam. Quantum amiserimus Virum , & cur ju-
sto citius abierit , nobis quidem significatum fuit haec-
nus : Ast quis nostra obligabit vulnera ? Quis nostros le-
niet dolores ? Quis Lugentem *Viduam* , quæ amissio Marito ,
quicquid Eidem charum erat & exoptatum amisit omne ,
solabitur imposteur ? Quis afflictas illas levabit animas per
STEINIUM olim erectas nunc autem depresso ? Tuum
hoc est ô Domine , à cujus omnia pendent Nutu ! Tibi
nos nostrasq; committimus curas & sollicitudines ! Tu-
um nobis concede solatium ! Tuam nobis largire gra-
tiam ! Et quando miserrimæ nostræ vitæ terminus adest ,
introduc nos , superato feliciter agone ultimo , ad cœle-
stia & nunquam terminanda gaudia . Vos vero , Proceres
Academæ Spectatissimi , Civesq; Optimi , Ipsi met facile judi-
cabitis , quid tanta Viri hujus B. merita , mutuus amor
& pietas Christiana hodie à Vobis exigant ; quod ut effe-
ctui dare , & justo tempore ad funus comitandum fre-
quenter comparere , eoqve ipso Lugentibus haud
leve solatium affere velitis , omni studio
vos oro rogoqve.

P.P. Rostochii. Sub Sigillo Univ.
d. 20. Sept. A.O. MDCCXVIII.








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774620935/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774620935/phys_0032)

DFG

dem uterque hujus Urbis Senatus, c
Studiosorum Corona, dolet qui STEINII v
mare ac in pretio habere se obstrictum sen
oqve & ego hodie Academiæ Rector doleo
cum Certissimum, Collegam Conjunctioni
negotiis ad regimen Universitatis spectanti
torem nemini secundum amiserim. Digna
amplissima Viri hujus Amplissimi memoria
steros qvoqve, si qui futuri sunt, transmitt
fata laude omnium gloria nomen ipsius
qvapropter, cum meam erga pie Defunetu
us testari nunc qveam affectum, qvam u
historiam hic ingenue recenseam, me ad
nendam accingo quidem, non autem sty
sapiente ungues, sed vulgari ac simplici, d
genere extemporanteo, qvo gaudere solent
jori spatio aut dolore nimis præsente ad
exclusi sunt, qvale quid mihi jam accidit.
men decedet industriæ fides supplebit largiss

Patriam noster sortitus sibi est Almar
stochianam communem illam bonarum
rarumque nutricem, in qua anno supra m
sexcentesimum sexagesimo, die octava Jan
diit in lucem. Patrem habuit WALTHER
NIUM, Xenodochii quondam hic Antisti
timum & Mercatorem Florentissimum, q
Dn. Johannis Steinii, Archi-Diaconi quon
Jacobi apud Lubecenses templum optime m
trem vero coluit omnibus torminei sexus
condecoratissimam Annam Hinckelmanni / L
ckelmanni, Mercatoris hic olim maxime indu
& Neptem Dn. M. Petri Hinckelmanni, add. Jac



VierFarbSelector Standard - Euroskala Offse

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	W	X	Y
---	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	---	---	---

chi-Diaconi qvondam meritissimi, ejus postea locum
affectu verè paterno supplevit B. Matthias Priestaff Vir
antiqvæ fidei & Senator hujus Civitatis Fulgidissimus,
Optimis his atqve Spectatissimis progenitus Parenti-
bus, per sanctissimum regenerationis fontem in nume-
rum filiorum DEI receptus, cura autem admodum
laudabili ac fidelissima educatus, tam compositis ac e-
mendatis semper inde à pueritia assuevit moribus, ut
scut in herbescente lege te lata viriditas futuræ messis
indicium est, sic in ipso jam tum obseruantur argu-
menta haud obscura, qvæ idem promitterent, qvod
nos omnes postea cœptum habuimus, fructus ni-
mirum optimos, qvæ uberrimos. Literarum
ac doctrinarum a pueris prosecutus fuit
amore, tanto felicius, qvo docilius,
ad puerum in patria, Praeceptore
lectore Scholæ oppri-
ta informatione M.
orthodoxam re-
fectoris Pastoris fide-
losi ad istam,
ne erant necessa-
decimo septimo æ.
suo Johanne Steinio,
Regiomontanos Professo-
rarii & ductu potissimum Dn.
U. D Decretalium Professoris Ce-
lebra, qvæ jam tempore Facultatis suæ Seni-
oris Graecorum, ad juris prudentiam summo cum ardo-
re animo adplicuit, neatiqvam tamen lectiones &
Collegia Lauterbachiana aut Feudalia aliaqve à reliquis

